

in verbo אקל. Hebræi verbum חתה verterunt profanatum est, vt monet Hieronymus in quæstionibus in Genesim, à חתה vulnerare, quod in Hophal est. Pollutum vel profanatum esse: Sed potius est Hophal à חתה, quod est sperare, incipere. LXX. hic sperauit inuocare, sensu non incongruo. Rectius ergo: tunc cœptum est inuocari. Sed an prius non fuerat inuocatum? Imo, sed priuatim, & à paucis, quia maior pars Kainica fuerat impia. Nunc familia Seth crescente Ecclesiæ & publicæ religionis melior status, & certa cultus forma fuit constituta.

Notandum primum, quod Ecclesia non est semper magnus visibilis cœtus: sed aliquando vna familia, imo vnus homo fuit Ecclesia. Augustinus in Psal. 128. Aliquando in solo Abel erat Ecclesia, & expugnatus est à fratre malo. Aliquando in solo Enoch Ecclesia erat, & translatus est ab iniquis. Aliquando in sola domo Noe Ecclesia erat, & pertulit omnes, qui in diluuiio perierunt, &c. Aliquando in solo Abraham Ecclesia erat, & quanta pertulit ab iniquis, nouimus. In solo filio fratris eius Loth, & in domo eius in Sodomis Ecclesia erat, &c. Deinde quod vera religio & cultus non consistit in splendore rituum, sed in inuocatione veri Dei, quæ est agnoscere Deum, sicut se in verbo

A patefecit per Prophetas & Apostolos tradito, &c. & hac agnitione ad fiduciam, timorem & cultum illius veri Dei excitari. Non enim coli potest Deus, nisi vere agnitus. Rom. 10. Quomodo inuocabunt, in quem non credunt? &c. Hinc inuocatio synechdochice passim pro toto cultu ponitur.

Ridicule Bellarminus hinc probat, tunc cœpisse monachatum, lib. 3. cap. 5. de Monach. Quasi vero inuocare nomen Domini sit esse monachum. Sed inquit, ante Enos etiam Adam, Abel, Seth, Deum inuocauerant: & tamen Enos dicitur primum cœpisse inuocare nomen Domini. Ergo colligitur, Enos instituisse peculiarem aliquem cultum & sublimiorem, quam esset religio vulgi. Assumptio falsa est. Non dicitur Enos cœpisse inuocare, sed nato Enos cœptum esse inuocari nomen Iehouæ: hoc est, aucta iam familia pia Adam & Seth, & separata à familia impiorum, verum Dei cultum cœpisse esse solenniorem. Quod infert de sublimiore cultu, ineptum est. Quæ enim sublimior religio esse possit inuocatione Dei, quam fateatur Adamo, Abeli, Setho & Enocho communem fuisse.

CAPITIS QVINTI

Argumentum, & Partitio.

C Apud hoc est ἱστορικὸν & χρονολογικὸν recitans decem generationes patrum ante diluuium: ab Adam descendentes vsque ad Nohe: ita vt continua annorum series à prima orbis creatione vsque ad 500 annum Nohe, medio calculo inde contexi possit: annorum 1556. Docet igitur, Deum in familia Adam, & linea Seth descendente vsque ad Nohe conseruasse aliquem cœtum recte innocantium nomen Iehouæ, separatum ab impia familia Kain. Exponit etiam seriem, etatem & memoriam patrum ante diluuium, ex quibus recta linea descensus erat Messias. Nam Lucas Evangelista genus Christi per has decem generationes patrum à Nohe vsque ad Adamum deduxit. Denique texit certam Chronologiam mundi, à creatione ad cataclysmum: quod temporis spatium Varroni, Censorino, reliquisq; profanis Chronologis habitum est ἀνάλον incognitum & incertum: vnde historia sacra præ profana cognoscitur antiquitas, certitudo & dignitas.

Partes capitis sunt tres.

I. Titulus, vers. 1.

II. Historia creati hominis breuif-

sime repetita, vers. 2.

III. Catalogus patrum ab Adam ad Nohe, vsque ad finem.

PRIMA